Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Dissertatio theologica de passione Christi

Pfaff, Johann Christoph
Brigel, Johann Matthäus
Straub, Johann Georg

Tubingae, 1719

VD18 1503495X-ddd

urn:nbn:de:bsz:31-130346

Visual Library

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

60 A 2691,1

EX
BIBLIOTHECA
ILLUSTRIS
CAROLI HESYCHEI.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

37

DISSERTATIO THEOLOGICA

DE

PASSIONE CHRISTI,

Quam

ΖΤΝ ΘΕΩ

&

PRÆSIDE

JOHANNE CHRISTOPHORO PFAFFIO,

SS. Theol. Doct. & Prof. Publ. Ord.

Illustris Stipendii Superattendente,

ad diem *Sept. A. MDCCXIX.*

Horis locoque consuetis

DEFENDENT

M. JOH. MATTH. BRIGEL, Heydenh.

M. JOH. GEORG STRAUB, Nürting.

S. Theologiæ Studiosi.

TUBINGÆ,

Literis JOSEPHI SIGMUNDI.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Baden-Württemberg



BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

Caput XXVII. Matthæi.

℣. 1.

MAne autem facto, si Filii caliginis tam mane surgunt ad opera tenebrarum, ad symposia quippe ac iniqua judicia Jes. V. 11. 22. 23. fœnora Mich. II. 1. incantamenta. Num. XXII. 21. Quanto maturiores sint alacrioresque filii lucis Luc. XVI. 8, in sacris Psal. V. 4. CXIX. 147. 148. Job. I. 5. in publicis Ex. XVIII. 13. Jer. XXI. 12. & œconomicis Ps. CIV. 23. coh. XI. 6. Matth. XX. 1. Consilium inierunt conf. Ps. II. 2. Omnes paucissimis tantum exceptis, Nicodemo forte & Josepho de Arimathia Luc. XXIII. 51. ac Gamaliele Act. V. 38. 39. Principes Sacerdotum adeo labiles sunt viri quoque summi, qui in conciliis totam sæpe Ecclesiam repræsentant. Ps. LXII. 10. Jer. XVIII. 18. & Seniores populi. Pontifex verò Romanus ex suis Conciliis omnes Laicos dudum proscripsit, quæ inde minus sunt integra ac illa Judæorum. Adversus cervam matutinam Ps. XXII. 17. Jesum tot sputis, tot colaphis, tot iujuriis per integram noctem indignissimè tractatum, ut eum morti traderent. Ps. XXXI. 14. XLI. 6. Synedrium mortem s. cædem Christi absolutè decreverat Matth. XXIV. 66. reliqua itaque omnia in speciem tantùm fuerant suscepta, ut & Reg. XXI. 10. 11.

℣. 2.

Et tamen non occiderunt ipsum, uti Stephanum in furore, hic enim singulari DEI decreto fuit coercitus, Act. IV. 27.28. Sed vinctum per plateas ignominiosissimè deduxerunt eum Et ob jus gladii una cum sceptro ademtum Joh. XVIII. 31. vid. Casaub. Ex. XVI. §. 71. p. m. 529. tradiderunt Act. II. 23. ut Simsonem Philistæis Pontio Pilato præterquam Galilæis infenso eorumque sacris iniquo Luc. XIII. 1. Hæc si acciderunt Magistro, quanto magis ejus manebunt Ministros Matth. X. 18. Marc. XIII. 9. Præsidi Judææ sub Tiberio C. Tacitus ipsum vocat *Procuratorem* lib. XV. Annal. f. m. 2714. verum enimverò quod Pilatus non tam curam habuerit redituum, quod Procuratorum, quam jus dixerit, quod Præsidum ex hac ipsa historia abunde dispalescit. v. Calov. Bibl. ill. f. h. I. f. 448. & Disp. Juridicam de injusto Pilati judicio Ill. Dn. Ch. Thomasii Lipsiæ habitam A. 1675. §. 5.

℣. 3.

Tunc post damnationem Christi ac traditionem Judas Ischariotes, qui eum prodiderat, non ea quidem intentione ut occideretur, sed spe plenus, quod magister manus hostium sit evasurus. Marc. XIV. 41. uti haud semel elapsus fuit. Luc. IV. 30. Joh. VIII. 59. Videns contrarium quod non tantum damnatus esset, pœnitentia non quidem salutari, quæ fidem involvit ducitque ad beatitudinem 2. Cor. VII. 10. illâ tamen pœnitudine ductus quam Bellarminus laudat & Lib. I. de Pœnitent. C. XV. Tom. III. f. m. 936. tradit, integram partibus absolvi tribus, quas h. loco singulas in se proditor Domini perspicue exhibuit, 1. *Contritionem cordis* unde μεταμελήθεὶς audit. 2. *Satisfactionem operis*, retulit enim XXX. argen-

argenteos principibus Sacerdotum ac Senioribus. Alias enim dicitur: non dimitti peccatum, nisi restituatur ablatum.

℣. 4.

3. *Confessionem oris* dicens: peccavi Confessio peccatorum est necessaria. Conf. Es. XXXII. 3.5. LI. 6. Prov. XXVIII. 13. tradens sanguinem innocentem sanguis innocens totum sæpe hominem notat I. Sam. XIX. 5. Ps. XCIV. 21. Jes. LIX. 7. conf. Matth. XXVII. 24. qualiacunque hæc omnia, tamen *deficiente fiducia falsa est pœnitentia* ut rectè Quesnell. s. h. l.

℣. 5.

At illi dixerunt: Quid ad nos? En ideam amicorum malè fidorum Jer. XXXVIII. 22. Syr. XII. 13. 19. XX. 25. & malignorum Confessionariorum Jer. XXIII. 11. Ezech. XXXIV. 3. 4. tu videris. Portabit onus quisque suum Gal. VI. 5. & projectis argenteis in templo. Adeo vaga atque fluxa sunt bona hujus ævi præsertim male parta Job. XX. 15. Jer. XVII. 11. Marc. VIII. 36. 1. Tim. VI. 9. recessit. Conscientia mala hominem turbat ubivis ac exagitat. Gen. IV. 14. II. Sam. XVII. 23. Sap. XVII. 10. Et abiens uti procul dubio abitus hic motu locali passibusque corporis fuit factus, ita nec mox sequentia H. Grotio, D. Heinsio ac L. de Dieu de mero angore solius animi capere licebit, cui enim unquam præ mœrore ilia fuerunt rupta? Nec si tale quid Judæ obtigisset, id Evangelistæ silentii peplo involvissent, qui alias omnia mira tam curatè commemorant. Nec Judam Diabolus in aerem subvexit ibique suffocavit, uti fingitur à Lightfooto, sed se ipse Judas desperatissimus αὐτόχειρ æque ac Ahitophel 2. Sam. XVII. 23. Laqueo

 suspen-

ſuſpendit, & ſuſpenſus crepuit & effuſa ſunt omnia viſcera ejus Act. I. 18. Quicquid de ſignificatu ἀγχόνης, ἄγχεσθαι, vocumque aliarum ſit ſimplicium, compoſitum ἀπάγχομαι ſemper ſuffocationem notat, quæ laqueo fit. Hoc præſertim loco aoriſto I. ἀπήγξατο initium innuitur exitii quod ſubiit proditor laqueo præfocatus, conſequebatur demum ruptura corporis jam mortui, ſecus ac Pricæus arbitratur, quod Judas demum in effuſione viſcerum efflarit quoque animam, tanta proditorem abſorpſit pernicies Pſal. CIX. 8. 9. 18. Matth XXVI. 24. de qua viſurus evolvat Diſſertationes Gronovii, Rœseri & Excell. Dn. Kuhnii Profeſſoris Argentoratenſis.

℣. 6.

Principes autem Sacerdotum peſſimæ Harpyiæ quæ mercedem iniquitatis recipere haud dubitarunt Acceptis argenteis quid acceptius eſt argento pluribus? Prov. XXX. 15. Mich. VI. 10. dixerunt ſatis hypocriticè & in ſpeciem non licet eos mittere in corban, ſ. gazophylacium conf. Deut. XXIII. 18. Prov. XXI. 27. Jeſ. I. 15. LXI. 8. Syr XXXIV. 21. 23. 24. quia pretium ſanguinis eſt, hæc hypocritarum indoles eſt, ut inter peſſima facta pietatem ſimulent iisque prætexant. Matth. XXIII. 23. 24. 25. 27. Joh. XVIII. 28. *Ecce Judæorum improbitas condemnat admiſſum & non condemnat ſacrilegium, inquit* Auguſtinus ſerm CXXI. d. Temp. *Si tollere non licet pretium, cur implere feſtinas homicidium? Aut pretium innocentis ſanguinis in corbanam non licebat mittere, ipſum innocentem licebat occidere?* Tom. X. f. m. 866. Hodie defunctorum Sanctorum imagines colunt, vivos igne & ferro perſequuntur, & qui Veneris die carnem edere ſibi religioni ducunt, temere reque quaſi bene geſta genio indulgent feſto Paſchatis, conf. Matth. XXIII. 28. 29.

℣. 7.

℣. 7.

Consilio autem inito quam inconsultum fuerat hoc consilium, cum mandato satis fecisse divino longe præstitisset: *Dimitte eos quibuscum violenter actum est.* Jes. LVIII. 6. emerunt ex ipsis agrum figuli Act. I. 18. in sepulturam. Sepulcreta olim erant & extra urbes Matth. VIII. 28. XXVII. 60. Luc. VII. 12. Joh. XI. 30. 31. in agris confer. Gen. XXIII. 19. 20. XXV. 9. L. 13. Joh. XXIV. 32. quibus piorum corpora inseruntur I. Cor. XV. 36. 37. 42. 43. florent instar graminis Jes. LXVI. 14. progerminant Joh. XII. 24. & in horrea cœlestia colligentur Matth. XI. vers. 12. peregrinorum proselytorum. Nobis qui peregrinamur in terris I. Petr. II. 11. quies in Ecclesia est parta non auro nec argento fluxo sed pretioso sanguine Christi I. Petr. I. 18. 19. hodie in sepulturam peregrinorum, proselytorum, exulum &c. parum argenti expenditur.

℣. 8.

Propter hoc factum vocatus est justo DEI Judicio ager ille a vulgo Ackeldama, hoc est, ager sanguinis à pretio sanguinis, quo à sanguinolentis fuerat Sacerdotibus emtus. Usque in hodiernum diem. Memoria peccatorum quæ e. gr. commiserunt Judæi, Herodes, Pilatus &c. adeo pro funde maledicta est, ut nullo temporis lapsu queat obliterari. conf. Sap. X. 7. 8. Syr. XXIII. 37.

℣. 9.

Tunc post agrum figuli pretio sanguinis emtum impletum est partim antitypice, partim κατὰ διάνοιαν quod dictum est, non allegatur h. l. præcisè *scriptum*, uti citantur dicta non scripta & Matth. II. 23. 2. Tim. III. 8. Judæ. 14. 15. per Zachariam XI. 12. quem Thumm. de verbo DEI pag. 107. in

Zach. Tarnov. p. 301. & Balduin. pag. 1670. Müller in Jeſ. Pat. p. 63. Voet. Diſp. Sel. Part. I. pag. 59. ac Rivetus Tom. III. f. 94. volunt binominem fuiſſe dictumque etiam Jeremiam, allegatum hoc duobus Prophetis ex parte & quoad verba *de pretio* Zach. XI. 12. quoad verba autem *de agri emti conditione* Jeremiæ XXXII. 9. vindicat Sanctius, quem ſequuntur Glaſs. philolog. ſ. p. m. 159. Walth. H. p. 875. Scherzer Syſt. p. 10. Müller. Judaiſm. pag. 1361. Schlegel de agro Sang. p. 5. & Turr. & I. p. 89. qualis vaticiniorum combinatio nominato Prophetarum tantum altero occurrit & Matth. XXI. 45. Marc. I. 1. 2. Rom. IX. 27. Jeremias h. l. nominatur præ Zacharia, vel quia antiquior fuit reliquis prophetis Matth. XVI. 14. vel quia ex Jeremia multa hauſit Zacharias c. I. 4. 14. III. 9. VI. 12. VII. 10. VIII. 15. IX. 5. XI. 9. vel quia ſcopus Matthæi principalis fuit deſcribere *agrum ſanguinis*, quem ſolus Jeremias præmonſtravit, adque hunc inde ſolum remittere, quæ cauſa eſt unica, quod Wörger in Diſſert. ſ. h. l. Zachariam planè non intelligit, utpote non de agro ſed *Chriſti venditi pretio* vaticinatum Prophetam, quid ſi cum Schlegelio l. c. p. 41. 43. per nomen hoc officii demum intelligas Zahariam? ellipſis enim comjunctionis καὶ non adeo inſolens. dicentem uno eodemque ore. Unum enim os prophetis tribuitur omnibus, Luc. I. 60. conf. Auguſt. de conſenſu Evangeliſt. Lib. III. Tom. 10. f. m. 485. & 486.

℣. 10.

Hoc quidem loco Evangeliſta non tam omnia verba prophetica retinet, quam ſenſum exprimit ac complementum. Et denuo acceperunt XXX. argenteos pretium mercedem Paſtoris æſtimati qui inæſtimabilis, quem æſtimatum emerunt Matth. XXVI. 15. à filiis Iſrael, quantilli viliſſima quævis ancilla in Iſrael æſtimabatur Exod. XXI. 32. & de-

& dederunt eos Sacerdotes in agrum figuli, sermo est de agro apud Jeremiam, de figulo autem apud Zachariam sicut constituit mihi prophetæ Dominus ut sc. hoc vaticinio velut ipso facto talia præsignificarem, conf. Jer. XXXII. 9. & Vossii Harm. Evang. lib. II. c. 3. p. 211.

℣. 11.

Jesus autem stetit vinctus quidem sed imperterritus ante Præsidem cui traditum de hæresi, de censu Cæsari negato, de seditione, & quod dixerit *se esse Regem* Luc. XXIII. 2. acerrimè accusaverant & præses Cæsaris, nullâ actorum voce magis quam novi *Regis*, uti pridem & Herodes M. Matth. II. 3. motus, judicialem mox interrogationem instituit & interrogavit eum juxta illud: *Audiatur & altera pars* confer. Deut. I. 17. Jer. XXVI. 12. Syr. X. 7. 8. 9. Act. XVII. 9. XXIV. 10. XXV. 8. 16. Tu ne in his vinculis, qui ingressum quidem regium nuper instituisti, sed misere, es Rex Judæorum externa respexerat Pilatus, ut Samuel I. lib. XVI. 7. & Herodes Luci XXIII. 11. & Milites Matth. XXVII. v. 29. dixit illi Jesus Confessionem optimam 1. Tim. VI. 13. Tu dicis, quæ affirmandi formula Christo fuit familiaris Matth. XXVI. 25. 64. Luc. XXII. 70. Joh. XVIII. 37. Christus in medio exinanitionis statu Rex fuit. vid. Hornbek d. convinc. Judæis lib. III. c. 1. p. 239.

℣. 12.

Et cum falso accusaretur a principibus sacerdotum & Senioribus, quos dudum ipso facto refutarat, Math. XXII. 21. Joh. VI. 15. XVIII. 36. XIX. 11. hoc tamen loco ad injurias personales & notoria falsa nihil utpote sponte moriturus

riturus respondit, qui suam alias doctrinam ab imputatis erroribus mascule vindicavit Matth. XXVI. 55. *Taciturnitas negat quod objicitur* inquit Augustinus serm. 118. d. temp. *cum non vult respondere, quod quæritur, accusationem suam Dominus tacendo non firmat, sed despicit non repellendo. Bene enim tacet, qui defensionem non desperat. Ambiat defendi, qui metuit superari. Festinet loqui, qui timet vinci. Christus autem condemnatur, exuperat, cum judicatur, vincit, sicut ait Propheta: ut justificeris in sermonibus tuis & vincas cum judicaris.* Tom. X. f. m. 854. & 855. Tempus est tacendi, nec omne verum est dicendum semper, conf. 2. Reg. XVIII. 36. 37. Ps. XXXIII. 13. 14. 15. Prov. XXVI. 4. Cor. III. 7. Matth. XXI. 24. 27. Luc. XXIII. 9. vid. Voet. part. IV. Dispp. Sel. p. 636. & Scherzer. in Brev. Hülsem. p. 761.

℣. 13.

Tunc Pilatus de innocentiâ accusati & certissimus, & publicè testatus Matth. XXVII. 18. 24. dicit illi forte ne sibimet ipsi desit, juxta vulgatum: *Qui tacet consentire videtur*: non audis, in foro olim accusabantur maximè præsentes Esth. VII. 6. Act. XXIII. 35. XXV. 16. quanta adversum te dicant testimonia, in speciem ac præsidium mendacii testes sæpe falsi subornantur I. Reg. XXI. 13. Act. VI. 11. 13. XXIV. 9. Matth. XXVIII. 13. 15.

℣. 14.

Et non respondit ei ad ullum verbum apologeticè inve sui defensionem Jes. LIII. 7. Ps. XXXIX. 3. 4. utut ad ulteriorem Judicis hujus informationem plura responderit Joh. XIX. 11. 36. 37. ita ut miraretur Præses vehementer Adeo admirandum Christi silentium inepte trahunt Quackeri ad palliandum Spiritum suum mutum. Etsi enim verbum Hypostaticum

ſtaticum ob ſummam innocentiæ ſuæ evidentiam ſurdis canere ac obſtinatis demum deſierit, antea tamen paſſim audiebatur, quale quid de Quakeris haud auditur. Imitentur itaque Chriſtum qui interrogatus absque Quackerianâ tergiverſatione reſpondit de cenſu, de reſurrectione ac præcepto maximo. Matth. XXII.16.23.36. v. Præfat: Quakergreuels §. II. Miniſtrorum Hamburgenſium & Quakeriſ. Part. I. D. Schelwig. p.149.

ỳ. 15.

Per diem autem feſtum κατὰ τὴν ἑορτὴν auf oder um das feſt/ cui reſpondet: Μὴ ἐν τῇ ἑορτῇ Matth. XXVI. 5. Paſcha intellige, quo Iſrael ex captivitate exiit liber, poſteaque in æternam liberationis illius memoriam agnum mactavit paſchalem, ut novo non fuerit opus memoriali, nedum hac conſuetudine toti legi contrariâ. Confer eruditam D. Gotofr. Nic. Ittigii Diſſertationem de veterum indulgentiâ Paſchali cum moderno jure aggratiandi collatâ. conſveverat, Bailius Tract. I. Quæſt. IX. quòd conſvetudinis hujus ne vola in Moſe extat aut veſtigium, Scripturæ inſufficientiam probare inde vult traditionumque neceſſitatem; At in Moſe conſvetudo hæc deprehendi ideo nequit, quòd à Judæis noviter introducta fuit Joh. XIX. 39. contra Moſen & univerſam Scipturam Gen. IX. 6. Ex. XXI. 12. Deut. XVII. 6. XIX. 21. Prov. XVII.25. Ap. XIII. 12. Cæterum κακοήθεια invaluit *in choro* Ez. XXIII. 8.43. quo in N. T. referas communionem infantum in antiquâ Eccleſiâ & in papatu communionem ſub unâ, vota, peregrinationes, jejunia & reliquos abuſus, *in foro* 2. Cor. XI.24. cont. Deut. XXV. 3. *in thoro.* Matth. V. 31. 32. XIX. 8. 9. Præſertim abrumpe conſuetudinem mentiendi Syr. VII. 15. rixandi I. Cor XI. 16. cultum publicum negligendi Eb. X.25 v. G. Königii C.C. p.II. & 632. & Rivet. Tom.III.f.56.& 64. præſes Romanus populo Judaico dimittere unum captivum quem voluerint. Marc. XV.

XV. 2. Act. III. 14. Nec melius se habet jus aggratiandi latrones v. Dign. Dn. D. Rechenbergii Dissertationem solidissimè scriptam de Jure Principis aggrat.

℣. 16.

Habebat autem Pilatus tunc vinctum, in vincula non nisi sontes conjiciendi Act. XVI. 37. in iisque usque ad plenam causæ cognitionem detinendi, ne supplicia præcipitentur. Lev. XXIV. 12. insignem qui bipedum nequissimus nihil minus quam gratiam aut cum Sancto sanctorum conferri merebatur & dicebatur Barrabas i. e. *Patris filius.* Filii qui Patri charissimi, sæpe fiunt deteriores, e. g. Esau. Ismael. &c.

℣. 17.

Congregatis verò illis Judæis, qui Christo magnam partem adhæserant, ipsumque ceu Regem Sionis novissimo Palmarum exceperant dixit Pilatus hactenus innocentiæ Christi testis atque præco, quem vultis dimittam vobis, sic optio vitam inter mortemque denuo dabatur, Deut. XXX. 19. Barrabam exosum latronem an Jesum vitæ datorem, qui vester Messias dicitur atque Christus conf. Joh. IX. 22. X. 24. Uti Satan stabat ad dextram Jojadæ, Zach. III. 1. ita h. l. Christus & Belial collati sunt 2. Cor. VI. 15.

℣. 18.

Sciebat enim, Pilatus itaque contra propriam egit conscientiam, dum pro Judæorum invidiâ contra notorie innocentem tamen nihilominus tulit sententiam, quod per invidiam tradidissent eum. Invidos osores maximè virtus habet Matth. XXI. 5. Joh. XI. 47. XII. 18. Act. V. 17.

℣. 19.

Sedente autem eo pro tribunali, Prætorium duo habebat

habebat ſpatia, in anteriori, ut Pancirollus tradit, erat tribunal, pro quo Præſes jus dicebat ἐπὶ τοῦ βήματος. Poſt erat velum & poſt illud examina inſtituebantur, flagellationes ac torturæ, miſit ad eum uxor ejus, nomine Procle, uti audit apud Nicephorum lib. I. Hiſt. Eccl. c. XXX. f. m. 79. dicens verbum interceſſionis, Prov. XXIV. 11. præſertim ipſis diſcipulis ſilentibus. Luc. XIX. 40. Nihil tibi & juſto cui lex non eſt poſita E. nec pœnæ illi, ſimilis occurrit phraſis paſſim Judic. XI. 12. II. Reg. XVI. 10. Matth. VIII. 29. Joh. II. 4. Piæ Matronæ pro periclitantibus intercedunt, ut Eſther c. VII. 3. 4. optimisque usque monitis inſtruunt maritos, ut Abigail Nabalem I. Sam. XXV. 37. & Placilla Theodoſium, apud Nicephorum lib. XII. Hiſt. Eccl. c. 42. f. m. 649. Calpurnia ipſa ſomnio monita maritum I. Cæſarem à fatali curiæ ingreſſu dehortabatur, apud Svetonium in Jul. Cæſ. §. 81. p. m. 36. & Auguſto ſvaſit clementiam Livia conjux, apud Dionem Caſſium lib. LV. Hiſt. Rom. f. m. 558. multa paſſa ſum hodie, quibus ipſis horis ipſe Chriſtus à militibus longe plura fuit perpeſſus, in ſomnis propter eum. Deus terret quoque ſomniis Job. VII. 14. XXXIII. 15. Somnia quidem plerumque vana ſunt Coh. V. 6. Syr. XXXIV. 2. Hoc tamen aliquid portendit, Chriſto enim teſtimonium juſti exhibuit, quod ipſe etiam Judex repetere non dubitavit, v. 24. Unde ſomnium fuiſſe θεόπνευστον aut θεόπεμπτον cum Athanaſio ac Auguſtino credimus. Etſi Procle enim fuerit gentilis, divini tamen ſomnii nihilominus fuit capax, uti & Abimelech Gen. XX. 2. & Laban. Gen. XXXI. 24. Ignatio quidem Cypriano ac Bernhardo viſum, quòd hoc ſomnium uxori Pilati fuerit à Diabolo immiſſum ad impediendum redemtionis noſtræ negotium. Sed diabolus ſibi non eſt contrarius. Matth. XII. 26. Nec ille mortem Chriſti diſtine-

re voluisse præsumendus, qui proditionem ejus Judæ inspiravit inque tantum Pontifices egit furorem. Et qui salvationem impedire voluisset, qui ne Salvatorem quidem pernovit? 1. Cor. II. 8. vid. & Danhau. Homil. Acad. Part. II. p. 159.

℣. 20.

Princeps autem sacerdotum & Seniores de quibus Josephus perhibet *illos potuisse plurimum apud Judæos sive exosum aliquem cuperent lædere, sive amicum juvare. Valde enim his fidem habuisse vulgum.* A. A. I. I. Lib. XIII. c. 23. f. m. 362. persvaserunt, Gal. V. 8. inter persvasoria fuit præcipuè ratio status: *Si dimittimus eum, omnes in eum credent & venient Romani, tollentque locum ac gentem* Joh. XI. 48. populo cum Judicem permovere hactenus nequiverint. Sic duces populi sunt sæpe nequissimi. Jes. IX. 16. Jer. II. 8 X. 21. Hist. Susann. v. 5. ut peterent Barrabam & Christum perderent. Tanta mundi iniquitas est, ut in multis locis ille & Turcas & Judæos & Epicuræos de grege porci magis ferre queat quàm unum Evangelicum. conf. Sap. II. 11. &c. Jes. V. 20. Job. XVII. 12.

℣. 21.

Respondens autem Præses ethnicus ait illis, Judæis longe iniquioribus. Quem vultis vobis de duobus dimitti, quam dissimilimis, dicebant, Barrabam. Mundus discupit suos, Joh. XV. 19. Act. III. 13. 14.

℣. 22.

Dicit illis Pilatus, Quid tot fuit opus verbis? cur obstinatos non vi & armis abegit? ut aliàs apud Josephum, lib. II. Belli Jud. c. 8. f. m. 651. Quid igitur faciam de JEsu, qui dicitur Christus. Ethnicus hic præses quæstionem movet quidem

quidem de Christo, quem tamen ex hostium asserere manibus haud intendit pectore firmo, illorum aliàs arbitrio hâc ipsum quæstione neutiquam subjecisset. Tanto autem contra Christum flagrabant odio, ut ipsum ne suo quidem nomine appellare dignati sint, uti latronem, v. 21. sed simpliciter dixerint omnes qui paucos ante dies Hosianna intonuerant, Crucifigatur. Nemo itaque fidat favori plebis, quòd adeò inconstans: uti Lystræ Act. XIV. 13. coll. 19. Jer. XVIII. 14. Syr. XXVII. 12.

℣. 23.

Ait illis Pilatus tertium innocentiæ Christi testimonium: Quid autem mali fecit. Omnia benè fecit. Marc. VII. 37. quid E. luat? at illi magis clamabant. Ps. XXII. 14. Jer. XII. 8. Zeph. III. 3. Inter clamantia quoque peccata dantur gradus: conf. Joh. XIX. 11. crucifigatur, Autorem vitæ suæ morti addicere summa est ingratitudo. Deut. XXXII. 6.

℣. 24.

Videns autem Pilatus quod nihil proficeret verbis, cur E. rem aliâ viâ aggressus Christum non absolvit, quod faciendi potestatem jactavit, Joh. XIX. 10. sed magis tumultus fieret. Non sufficit benè cœpisse, Ps. LXXVIII. 57. finis coronatur, acceptâ hypocriticè & in speciem aquâ quæ ad animam primariam peccati sedem non penetrat lavit manus coram populo Si cadaver hominis in terrâ S. forte inveniebatur, latente cædis autore, Seniores viciniæ oportuit lavare manus & dicere: Manus nostræ non effuderunt hunc sanguinem nec oculi viderunt. Deut. XXI. 6. Quid vero ceremonia hæc hypocritas juvat, qui malum si non directè, indi-

rectè tamen perpetrant? *Ah nimium faciles, qui tristia crimina cædis Fluminea tolli posse putatis aquâ.* conf. Job. IX. 30. Jer. II. 22. Præstat itaque manus lavare innocentiâ. Ps. XXVI. 3. LXXIII. 13. I. Tim. II. 8. dicens innocens egosum à sanguine hujus justi, *Eadem voce*, ait Augustinus serm. CXVIII. de Temp. *circa Susannam Daniel utitur, quâ circa Dominum usus est Pilatus - sed Daniel meliùs quàm Pilatus: ille enim pudicum sanguinem nec condemnat & liberat: hic autem justi sanguinem confitetur & tradit.* Tom. X. f. m. 855. Repetit h. l. titulum *justi* quo Christus jam à Procle fuerat mactus, v. 19. & Pilatus, justus quippe Christus est & ἀσιωδῶς Jer. XXXIII. 15. & ἐνεργητικῶς, Jes. LIII. 11. vos videritis Peccata participationis, quale fuit Justi hujus condemnatio Act. IV. 27. uni tantum imputari parti recusant. Matth. XXVII. 5. Plura de manuum lotione visurus evolvat Francii Orac. CXXXIX. p. 894. Delrio Part. II. Adag. p. 81. & Dillherr. Disp. Acad. Tom. I. p. 201. & 503.

℣. 25.

Et respondens universus populus dixit, obstinati peccatores adeo nullis flectuntur monitis, ut potiùs iis magis magisque indurentur. Jer. VII. 25. 26. Zach. VII. 11. 12. Matth. XI. 16. 17. sanguis ejus super nos, Phrasis quâ sanguis vel esse vel poni super aliquem dicitur cædis causam prodit, culpamque infert ac reatum. Lev. XX. 9. 11. 12. 16. 27. Jud. IX. 24. II. Sam. I. 16. III. 29. XVI. 8. I. Reg. II. 32. 33. Jer. XXVI. 15. LI. 35. Ez. XVIII. 18. XXXIII. 4. 5. Matth. XXIII. 35. Act. V. 28. XVIII. 6. 8. & filios, Posteris & majorum peccata jure imputantur & sæpe officiunt diræ. Lev. XXVI. 39. 40. II. Sam. III. 29. Ps. CIX. 9. 10. 11. 12. 13. 14. nostros, Imprecationis hujus vis se usque exeruit. Imperante enim adhuc Claudio tantus Hierosolymis tumultus fuerat coortus in ipsâ paschatis solennitate, ut

ut illorum, quorum ad templi portas sanguis fuit effusus, numerus ad XXX. hominum millia excrevisse dicatur ab Eusebio lib. II. c. 19. H. E. f. m. 59. Ut taceamus vim sanguinis Judaici, qui in obsidione & demùm in panolethria urbis ac totius regni maris ad instar rubri exundavit, *Perseverat usque in præsentem diem hæc imprecatio super Judæos*, inquit s. h. l. Hieronymus, *& sanguis Domini non auferetur ab eis*. Quis itaque de conversione Judæorum aliquâ universali non dubitet? vid. Disp. nostram de Imputatione peccati alieni. Coroll. II. p. 22.

℣. 26.

Tunc dimisit illis Barrabam latronem, je ärger Schalck je besser Glück. Ps. LXXIII. 3. 4. 5. 12. Mal. III. 15. JEsum autem Filium Dei, quem innocentem toties deprædicarat, tamen φραγελλώσας flagellis aculeatis agressus denudatum & alligatum ad columnam in prætorio conf. Ps. CXXIX. 3. Jes. L. 6. Joh. XIX. 1. Pœna erat servilis Act. XXII. 25. quâ Romani ad crucem ituros prius afficiebant, v. A. A. R. R. Rosini lib. IX. c. 17. p. m. 1474. & Kippingii Lib. II. c. 8. p. m. 368. & Hieronym. s. h. l. Aliâ tamen intentione à Pilato Salvatorem fuisse flagellatum, ut hoc sc. spectaculo populus ad commiserationem flecteretur, contendit Beza. Utrumque conjungit Clasenius lib. II. de Passio. Christ. C. XIX. §. 6. p. 240. Hæc flagella Christo à Romanis iniquissimè inflicta à Gretsero ad heautontimoriam, *quâ*, ut Drexelii verbis in Trism. utar, *homo suus fit carnifex*, ineptissimè trahuntur, perinde ac si diceres: Christus à Romanis injustissimè occisus fuit, E. ad imitationem ejus nosmet ipsos occidamus, quod certè sufficientissimo Christi merito derogaret, Ideo enim quod Christus pro nobis passus, suisque nos vulneribus sanavit, novis in nostro corpore vulneribus opus non est. Jes. LIII. 4. 5. v. Carnific Esavit: Zeæmanni p. 440. tradidit eis hostibus capitalibus, ut Rex Danielem C. VI. 16.

quantum

quantum David malum usque fuit deprecatus Pſ. XXXI. 9. CXIX. 21. ut crucifigeretur. Ita

Dat veniam corvis vexat cenſura columbas.

conf. Ex. XXIII. 7. Deut. XXV. 1. Prov. XVII. 15. XXIV. 24. Coh. VII. 16. VIII. 14. Ez. XIII. 19. Lev. XVI. 8. 9. 10.

℣. 27.

Tunc poſt flagellationem milites Præſidis illi quatuor, qui crucifixione defuncti poſt veſtimenta crucifixi in quatuor partes diviſerunt Joh. XIX. 22. accipientes Chriſtum inprætorium Pilati intimius, quo de vid. H. Muller in Jeſ. Pat. p. 87. & Huber pec. Tractat. coegerunt univerſam inque aliquot centenis conſiſtentem cohortem. Conſociatio ac multitudo haud poſtremum malorum præſidium. Prov. I. 10. 11. 14. Jeſ. V. 18.

℣. 28.

Et cum exuiſſent eum ceu latrones illi Luc. X. 30. circumdederunt ei chlamydem coccinam, purpuream, ut Marcus & Johannes habent, conf. Gen. IL. 11. Jeſ. LXIII. 11. ex quo gemino quidem luſu verè tamen diluxit, hunc eſſe Regem candidum & rubicundum. Cant. V. 10.

℣. 29.

Et coronam conf. Cant. III. 12. e ſpinis contextam impoſuerunt capiti ejus. Hic in ſpinis vidiſſes arietem Abrahæ Gen. XXII. 13. lilium Cant. II. 2. botrum Cypri Matth. VII. 16. & ipſum Deum Ex. III. 2. Hinc quod Hieroſolymis Rex regum ſpinis fuerat coronatus, ibi Godefridus Bullionæus coronam auream ſibi victori oblatam recuſavit. & arundinem in dextram ejus loco ſceptri, conf. Pſ. CX. 2. Jeſ. XLII. 3.

& in

& in genua procidentes coram ipſo, qui ipſi cultus debetur Pſ. XCV. 6. Phil. II. 10. illudebant ipſi dicentes: Salve Rex Judæorum. Simile quid Vopiſcus de Proculo: Cùm in quodam convivio latrunculis luderetur, atque ipſe decies Imperator exiiſſet, quidam non ignobilis ſcurra: Ave, inquit, Auguſte, allatâque lanâ purpureâ humeris ejus injectâ eum adoravit.

℣. 30.

Et quum exſpuiſſent in eum Dominum Gloriæ & jubar Deitatis, Medicum optimum qui ſputo ſuo cœcis reſtituit lucem conf. Pſ. LXIX. 9. Jeſ. L. 6. Joh. IX. 6. accepta arundine illa percutiebant nequiter Zach. XIII. 16. caput ejus qui viciſſim & ipſorum capita confringet. Pſ. II. 9. LXVIII. 22.

℣. 31.

Et poſtquam illuſiſſent ei, nequid contumeliæ deeſſet, exuerunt eum chlamyde, uti pridem Joſephum fratres, Gen. XXXVII. 31. indueruntque veſtimentis ſuis, ut ſputis ac cruore obductus tamen adhuc agnoſceretur & per portam judicialem, de quâ Neh. III. 9. 31. eduxerunt conf. Luc. IX. 31. Matth. XXI. 39. ceu hircum emiſſarium Lev. XVI. 21. ac ceu victimam Jeſ. LIII. 7. extra caſtra Lev. IV. 21. VIII. 17. Eb. XIII. 11. 12. eum ut crucifigerent. Meſſiam crucifigi oportuiſſe partim patet ex typo ænei ſerpentis Joh. III. 14. partim ex prædictionibus Chriſti. Matth. XX. 19. XXVI. 2.

℣. 32.

Exeuntes ex urbe S. milites invenerunt aliquem Cyrenæum è Lybiæ Pentapoli Cyrenaicâ oriundum, uti Salmaſius ait, nomine Simonem Patrem Alexandri & Rufi, Marc. XV. 21. hunc invitum ac reluctantem cruci, àquâ noſtra quippe caro adeo abhorret, vi adegerunt ἠγγάρευσαν, ut portaret crucem ejus oneri ut videbatur, ſuccubituri. Nec tamen in ipſo redemtionis opere Chriſtum juvit, Chriſtus enim torcular calcavit ſolus. Jeſ. LXIII. 3. 5. ſed tantum in exemplum ſequelæ ac patientiæ Matth. XVI. 24. Gal. VI. 2. crucem ſubiit.

℣. 33.

Et cum venissent in locum ubi & Isac aræ fuisse impositus creditur **qui dicitur Golgotha, qui est, si interpreteris, Calvariæ locus.** Locum hunc plurimi Patres à primi hominis cranio denominatum volunt, sed non est verisimile Judæos locum sepulturâ Protoplasti illustrem latronum suppliciis fœdasse. Alii locum à mortuorum craniis dictum putant. At moris Romani non fuit nedum Judaici relinquere illa sub dio. Voss: in H. E. p. 256. locum simpliciter appellatum vult quod facinorosis ibi capita fuerint decisa ut locus capitis sit locus decapitationis. Probabilissima denique conjectura est Calixti, montem ita dictum fuisse quod rotundus esset instar calvariæ. lib. VI. Conc. Evang. c. 13. p. m. 396.

℣. 34.

Et dederunt ei qui vino ipsos atque melle refecerat Deut. XXXII. 13. 14. tamen porrexerunt non vinum quale alias conceditur morituris, Prov. XXXI. 6. sed modò **acetum bibere felle mistum** & myrrhâ Marc. XV. 23. conf. Deut. XXXII. 32. 33. Jer. II. 21. Ps. LXIX. 22. & cum gustasset, qui gustat, ipsam cibi potusve substantiam tam percipit, ac ille qui vel edit vel bibit, differentia est in quantitate tantum vel tempore, qui enim tantum gustat, rem non adeo lagiter haurit nec tam diu ac ille qui edit aut bibit gutture toto. v. Hulsem. contra Calixt. p. 643. & Feurb. op. p. 1891. **noluit,** Agnus DEI fel Draconis lethale, **bibere** forte ideò, ne tali potu vel ἀναισθησίαν videretur ipsamve mortem acceleraturus v. Barthol. d. Cruce p. 136.

℣. 35.

Postquam crucifixerunt eum quasi latronem. Nam ceu vilissimo servo vestimenta detraxerunt mox divisuri & ita denudati omnia distenderunt membra Ps. XXII. 15. 16. distentaque clavis Jes. IL. 16. Zach. XIII. 6. Joh. XX. 25. perforarunt Ps. XXII. 17. & affixerunt Act. II. 23. cruci, ligno, Gal. III. 13. 1. Pet. II. 24. gemino erecto ac transverso, quod retulit figuram T. s. signum illud Ez. IX. 4. Quode vid. Tertullian. lib. III. §. 15. contra Marcion. f. m. 212. & Salmas. de Cruce, p. 235. & ita in altum sublatus Jes. LII. 13. Joh. III. 14. XII. 32. pependit, Act. V. 30. Mediator cœlestem Patrem inter nosque terrigenas. Eph. II. 16. Col. I. 20. **diviserunt vestimenta ejus,** uti hodie etiam bona ecclesiastica diripiuntur, & analogia fidei a Schismaticis usque dilaceratur, **sortem mittentes** sortes divisoriæ non tantùm licitæ sed frequentes

quentes quoque sunt, Prov. XVIII. 18. ut ἐκβατικῶς, raptus horum vestimentorum à Davide erat prædictus quia futurus erat, non erat futurus quòd à prophetâ fuit prædictus **impleretur** literaliter, **quod dictum est per prophetam David dicentem** Ps. XXII. 19. **Diviserunt sibi vestimenta mea.** Triste valde si tua oporteant cedere malis. Coh. II. 21. 22. & **super tunicam meam** inconsutilem, **miserunt sortem,** Joh. XIX. 22. 23. De hac tunicâ vid. Mares. Syllog. Part. II. p. 261. & Dorsch. pec. Tractat.

℣. 36.

Et otiosè **sedentes,** stantibus interim sub cruce piis matronis ipsoque Christo in summis doloribus pendente **servabant eum,** ne liberari à quo quam posset, at ne sic quidem frustra fuerunt, sed in testes veræ mortis Christi, ut pòst & sepulchri custodes in resurrectionis testes evaserunt.

℣. 37.

Et imposuerunt more quidem Romanorum, quode, Lipsius lib. II. d. Cruce. c. 11. & Casaubonus Ex. XVI. cont. Bar. §. 86. p. 562. nihilominus, uti Caiphas inscius vera dixit Joh. XI. 51. ita & Pilatus longe aliud intendens vera scripsit **super caput ejus,** hic laminam vidisses frontalem summi Pontificis Ex. XXVIII. 36. **causam** prætextam Marc. XV. 26. **ejus supplicii scriptam** ebraicè, græcè ac latinè Joh. XIX. 20. **Hic est Jesus** Salvator catholicus, Matth. I. 21. Act. IV. 12. 1. Cor. II. 2. 2. Tim. II. 8. **Rex Judæorum,** uti hoc titulo ludebant milites supra versu XXIX. ita & Pilatus illo pungere voluit Judæos, id malè & ægrè ferentes Luc. XIX. 14. Joh. XIX. 15. in rei tamen veritate est Rex eorum, Matth. II. 12. Quid hodie tanta titulorum Pompa?

℣. 38.

Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones huic supplicio pridem addicti. Pauci quippe boni, queis duplo plures usque sunt mali. Aliàs solamen miseris socios habuisse malorum, hoc verò consortium Christo patienti in majorem cessit ignominiam. **Unus à dextris & unus à sinistris.** Uti Joseph in nervo erat medius pistorem inter ac pincernam longe feliciorem. Gen. XL. 4. Uti Aron stabat medius vivos inter ac mortuos, Num. XVI. 48. Uti Paulus hærebat medius duos inter milites. Act. XII. 6. ita media quoque Trinitatis persona quæ pridem sederat in medio doctorum, Luc. II. 46. steteratque in medio prophetarum, Mosis sc. ac Eliæ

Matth. XVII. 3. tandem pependit quoque duos inter latrones, ut impleretur Marc. XV. 28. Luc. XXII. 37. dictum Jes. LIII. 12. *Cùm sceleratis reputatus est.*

℣. 39.

Prætereuntes autem loco debitæ commiserationis, Job. XIX. 21. Thren. I. 12. ludebant & *verbis*, nam blasphemabant eum, v. Ps. XXII. 7. 8. 9. XXXI. 12. 19. XXXV. 21. CIX. 2. 3. Jes. LXIII. 5. & *gestibus*, nam moventes capita sua. Qualis capitis motus alias est subsannantium. II. Reg. XIX. 21. Job. XVI. 4. 5. XLII. 11. Ps. XLIV. 15. Jer. XVIII. 16. XXXVII. 22. Thren. II. 15. Tantas quoque illusiones Christum quoque videre oportuit in cruce. Ps. XXII. 8. CIX. 25.

℣. 40.

Et dicentes satis sarcasticè, tu vero miseris ne illude. Syr. VII. 12. vah quî destruis templum DEI adeo magnificum, Jer. VII. 4. Marc. XIII. 1. Nec templum Zorobabelicum quod ipse sit destructurus, Christus unquam fuit comminatus, sed ad hostes suos capitales de templo sui tantùm corporis dixit: *Destruite templum hoc & in triduo id reædificabo*, Joh. II. 19. Impii verba quoque piorum pervertunt, ut sit quod arguant ac criminentur. Ps. LVI. 6. Syr. VIII. 14. XXVII. 26. & in triduo id reædificas qui ne corpus tuum à clavis atque cruce potes vindicare. Salva temetipsum qui salvasti alios. Si filius DEI es, ita tentabat ipse etiam Diabolus Matth. IV. 3. 6. descende de cruce, *Quem mortis tyrannis non detinuit* ait Chrysostomus Homil. IV. in I. Cor. *quomodo potuissent eum detinere clavi crucis?* Tom. IV. f. m. 283. Certe, *plus est*, infit Gregorius M. Homil. XXI. in Evang. *de sepulchro surgere quàm de cruce descendere, plus fuit mortem resurgendo destruere quam vitam descendendo servare.* Potuit igitur de cruce descendere sed noluit, *nam crux non ad potentiæ documentum sed ad exemplum patientiæ suscepta est*, scribit Augustinus tract. 3. in Joh. & tractat 37. *Non descendit, ut suam potestatem descendendo monstraret. Quia patientiam docebat, ideò potentiam differebat. Si etiam quasi commotus ad eorum verba descenderet, victus convitiorum dolore putaretur.* Tom. IX. f. m. 23. & 287.

℣. 41.

Similiter Principes sacerdotum quos tum magis decuisset curam sacrorum & præsertim parasceves habere in templo, quàm in monte Calvariæ,

riæ, (ubi bona verba plus proficiunt, quàm mala) convitiis tamen summum proscindere Pontificem illudentes cum scribis & senioribus, Res indigna scandalique plenissima est si meliora edocti deteriora sequuntur, ut Aron. Ex. XXXII. 4. filii Eli. I. Sam. II. 24. Levitæ Ez. XLIV. 11. Mal. II. 8. Bileam. Ap. II. 14. Rom. I. 32. II. 18. 21. 22. nam *omne animi vitium tanto conspectius in se crimen habet quanto* major *qui peccat habetur.* dicebant, perversè ac inconsequenter.

ỳ. 42.

Alios salvos fecit Marc. VII. 37. Christi corpus ligno fuit affixum, nec tamen veritas erat ligata 2. Tim. II. 9. sed hostibus quoque ut Matth. XXII. 16. excidit invitis, Pontifices enim miraculosis Christi curationibus detrahere sunt annisi ex eo, quod semetipsum à clavis atque cruce non liberavit, An enim feliciſſimæ experientissimi alicujus Medici curæ laudari cessant atque vilescunt, quum tandem fati necessitate abripitur ipse? seipsum non potest salvum facere, apertum hoc fuit mendacium, consummato enim redemtionis negotio Joh. XIX. 30. semetipsum stitit salvum Jes. II. 16. Zach. IX. 9. omnipotentiam suam gloriosâ sui resuscitatione Rom I. 4. clarius contestatus quam si descendisset de cruce, sic enim suum deseruisset vadimonium nec Patri obediens mansisset usque ad mortem, nedum omnes typi ac vaticinia suum in ipso obtinuissent complementum, unde & Athanasius d. Pass. & cruc. Dom. *Dominus autem reverâ Salvator, qui non sua sed nostra quæreret, non in se salvando sed in creaturâ redimendâ Salvatorem se esse innotescere volebat. Non enim Medicus, eò, quod se ipsum servat, declaratur Medicus, nisi simul & ægrotis artem suam exhibeat --. Ita quoque & Dominus non se ipsum salvavit, siquidem nullâ salute indigebat, cum esset Salvator sed ex suis in alios beneficiis voluit Salvator declarari.* Si Rex Israel est, hoc Christum nomine Pontifices exosum Iudici Romano reddiderunt, ut ab ipso demùm actus fuerit in crucem, crucifixo nunc ἐπιχαιρέκακοι eodem illudunt nomine atque insultant, uti & Philippus Macedonum Rex obviam factus Philippo Megalopolitano decedenti de præsidio, ad ludibrium eum *Regem* consalutari jussit, apud Livium Dec. IV. Lib. VI. f. m. 735. descendat nunc de cruce, si descendisset, speciem fugientis mortem, prætulisset. Mortem non fugit sed expectavit conculcaturus & credemus ipsi Pendente adhuc Christo in cruce credebat latro, ut benè observat Athanasius d. pass. & cruc. Dom. Hinc ad hæc

Pontificum verba rectè Hieronymus: *Fraudulenta*, inquit, *promissio, quid est plus, de cruce adhuc descendere viventem, an de sepulcro mortuum resurgere? resurrexit & non credidistis. Ergo, si etiam de cruce descenderet, similiter non crederetis.* Tom. IX. f. m. 84. vid. & supra notas ad ℣. XL.

℣. 43.

Denique Christi crucifixi fiduciam, Patris gratiam ac æternam genituram Judæi solicitant, ac si hæc is singula vanissimè jactarit, dum dicunt Confidit Deo Utique Christus & fidem habuit non quidem justificam, qua non egebat, illam tamen, quæ notitiâ constat, assensu & fiduciâ Ps. XVI. 1. XXII. 2. 9. 10. 11. Matth. XXVII. 46. Eb. II. 13. aliàs nec validè precari potuisset, nec legem quæ fidem in Deum primario exigit, pro nobis implere. vid. d. fide Christi Danhauer Hodos. p. 615. Disp. pec. I. F. Mayeri & G. Voetii Part. II. p. 156. liberet nunc, Deus Ps. XXII. 9. si vult eum Matth. III. 17. XVII. 5. Hæc sunt ignea Satanæ tela, quæ multos adhuc hodie feriunt agonizantes. dixit enim haud semel Matth. XVI. 16. 17. Joh. VIII. 19. XIX. 7. quod filius DEI sum, quâ confessione filii tenebrarum maximè offenduntur, Sap. II. 13. 16. 17. 18. Ita filiorum Dei tessera crux est. Hos. XI. 8. Sap. XI. 10. 11. XII. 21. Eb. XII. 5. 6.

℣. 44.

Id ipsum autem latrones obstinati peccatores in mediis quoque rigent pœnis, ut Pharao, conf. Jes. I. 5. III. 5. Jer. II. 30. V. 3. XLIV. 9. 10. Am. IV. 6. 8. 9. 10. qui crucifixi erant cum eo, Uti cùm duo faciunt idem non est idem, ita nec idem est, cùm plures patiuntur idem, martyrium enim causa facit non plaga. improbrabant ipsi, Lucas c. XXIII. 39. hoc de uno tantùm refert, unde conviciatos ab initio fuisse ambos usque alter viso miraculo resipuit, videtur plerisque Patribus Origeni, Athanasio, Hieronymo, Chrysostomo, Theophylacto & Euthymio. Alii tamen, Augustinus sc. Cyprianus, Ambrosius, Gatakerus in Cinno, f. 334. Spanhem. D.E. Part. II. p. 577. & Glass. Ph. S. p. 445. h. l. enallagen numeri agnoscunt, qualis habetur & Matth. XI. 20. XXVI. 8. Luc. XXIII. 36. Denique Montacutius vult plurali hoc numero non personarum innui numerum sed conditionem tantùm ac si diceret Matthæus illusum fuisse Christum, à quovis hominum genere, sacerdotum, scribarum, seniorum denique & latronum, uti & pro singulis generum fuit passus.

℣. 45.

℣. 45.

Tantas injurias Creatori suo illatas sol ipse detestatus luxit, à sextâ autem horâ elapsâ, Uti enim noctem Christi natalem tum Angeli tum insolitæ stellæ claritas reddidit illustrem, sic diem Christi emortualem eclipsis tenebravit. Quinimò uti palmis Mosis ad sidera sublatis triduana totam Ægyptum obruit caligo, sic Magno quoque Prophetâ brachia sua in cruce extendente tenebræ factæ sunt, quòd ipse sol fuit obtenebratus Luc. XXIII. 45. nec tantùm ejus radii sunt intercepti ut in naturali fit eclipsi, sed pascha tum fuit, in quod incidit plenilunium, in plenilunio autem luna non stat sub sole, sed ex adverso, ut radios solis intercipere tum nequeat. Super universam, non tantùm Iudæam sed πᾶσαν & juxta Lucam ὅλην s. totam terram adeoque eclipsis fuit non tantùm totalis sed & universalis, & Heliopoli à Dionysio quoque in Ægypto observata usque ad horam nonam, adeoque per trihorium, quantum temporis nulla eclipsis naturalis ob celerrimum solis cursum durare posset. Hæc verò præter naturam non tantum symbolum fuit Iudaicæ cœcitatis, conf. Job. IX. 14. Jes. LIX. 10. Mich. III. 6. sed signum quoque existii, conf. Jes. VIII. 20. 21. Jer. XV. 9. Am. VIII. 9.

℣. 46.

Et circa horam nonam, morti proximus deliquium solis ad instar patiebatur Ps. VIII. 6. XL. 13. clamavit voce magnâ, & linguâ tum vernaculâ citra præscriptum ullius versionis verba Hebræa ex Ps. XXII. 2. Eli Eli, Nulla hic diffidentia nedum desperatio, hæc enim dolorum est infernalium tantùm accidens, quos senserunt Hanna 1. Sam. II. 3. David Ps. XVIII. 6. Jona, c. II. 3. qui tamen non desperarunt lamaa Zabthani. Hæc desertio non fuit absoluta, totalis & æterna, qualis in dæmonas & reprobos tantùm cadit, esset enim hoc contra fiducialia verba: Eli Eli. Imò hæc querela sic in Christo locum habuisset per totam vitam ejus, sed temporalis & secundum quid. Uti enim Patres non sunt deserti sed adjuti, ita Christus fuit desertus Ps. XXII. 5. 6. 7. Atq. fuerunt adjuti reali & maturo ante mortem auxilio, solatio, gratiæque sensu. E. Christus in his fuit desertus. hoc est: Deus meus, Deus meus, Gemina hæc fuit professio fiduciæ quâ filius hominis Patrem suum cœlestem in summis est amplexus angustiis, cur dereliquisti me? Contigit hæc desertio non ratione u-

nionis

nionis personalis, quod enim Λόγῳ semel assumpsit, nunquam dimisit, nec communionis aut protectionis, quia illi Deus semper fuit à dextris Ps. CX. 5. nec unquam relictus est solus, Joh. XVI. 32. Sed quoad participationem gaudii & felicitatis, Deo præsentiam favorabilem gratiæ & influxum solatii & beatitatis tantisper suspendente ut pati posset pœnas omnes nobis debitas, quoad subductionem visionis, non dissolutionem unionis, quoad carentiam sensus dilectionis divinæ per sensum iræ & vindictæ divinæ illi incumbentis, intercepti, non quoad realem ejus privationem vel extinctionem. E. Christus iram Dei pœnasque infernales verè gustavit.

℣. 47.

Quidam autem Romani milites juxta Hieronymum, sed ethnicos illos de Eliâ ejusque reditu quid scivisse quis credat? probabilius Judæi fuerunt, qui illic quoque stantes &, lamentum Christi audientes, satis sarcasticè dicebant repetentes sarcasmum ex Ps. XLII. 12. ac si dicerent: Abjectâ omni in Deum fiduciâ, quod execrandum, Jer. XVII. 5. ad hominem se convertit & Eliam vocat. Ex loco malè intellecto Mal. IV. 5. communis inter Judæos opinio fuit Eliam Thesbitem Messiæ fore præcursorem. Matth. XVII. 10. Quo ipso Christum illi crucifixum fraudulentiæ convincere h. l. cogitabant, quòd is, Messiæ præcursorem h. l. expetendo ac demum expectando, ipsum Messiam nondum venisse, sed pro Messia se hactenus falsò gessisse, apertè fateatur. ille, Christum ne suo quidem nomine dignantur, Tantis sunt pii obnoxii odiis, sarcasmis Ps. IV. 7. Sap. II. 15. perversisque judiciis. 1. Sam. I. 13. Ps. LVI. 6. Syr. VIII. 14. XXVII. 26. Matth. XXVI. 8. Luc. VII. 33. 34. Joh. XXI. 23.

℣. 48.

Et continuò currens unus ex iis, ex horum commissione Joh. XIX. 29. acceptam spongiam implevit aceto Ps. LXIX. 22. Jer. II. 21. in majorem contumeliam. Luc. XXIII. 36. & imposuit arundini ob crucis Dominicæ altitudinem & dedit illi sitim questo, Ps. XXII. 16. Joh. XIX. 28. & respuit potum. Matth. XXVI. 39. XXVII. 34. bibere. Quo spectat illud Athanasii de Passio: & cruc: D. *Amaritiam iræ ex prævaricatione legis obortam, in quâ omnes detinebat, Domino porrexit Diabolus, quam ille accipiens absumpsit & evacuavit, ut pro aceto vinum, quod miscuit sapientiâ, nobis potandum daret, & pro felle, dulciora melle & favo eloquia nobis elargiretur, & pro eo quòd nostra gustasset*, diceret vicissim, *gustate & videte, quoniam suavis est Dominus.* ℣. 49.

ỳ. 49.

Cæteri verò inter quos & Pontifices v. 41. 42. postquam incepisset unus, Marc. XV. 35. dicebant satis sarcasticè, sine videamus his hactenus miraculis atque prodigiis nondum contenti, conf. IV. 48. an veniat Elias Thesbites non tantùm potaturus sed plene etiam liberaturus eum. Επιχαιρεκακία ac miserorum illusio detestanda est immisericordia. Judic. XVI. 25. Ps. CXXXVII. 3-7. II. Sam. XVI. 7. Prov. XVII. 5. Thren. I. 7. Syr. VII. 12. XXVII. 32.

ỳ. 50.

Et cum clamasset: Pater in manus tuas resigno spiritum meum, Luc. XXIII. 46. voce magnâ Eb. V. 7. quam in aliis communiter intercipit agon, emisit. Ex hoc verbo haud secus ac pridem Feurbornius Σκιαγρ. p. 175. & Κενωσίγρ. III. p. 86. 90. etiam D. Wölfflin isque Theologus Tubingensis ostendere vult, in Disp. d. Triduo Mortis Christi, p. 17. & seq. quòd anima Christi non fuerit in sepulchro, actu sc. naturæ humanæ, sed quòd in morte Christi anima à corpore discesserit abieritque in paradisum, qui quidem beatitudinis status magis quàm locus. Unde Scherzerus in System. p. 552. in erroribus Theologos Tubingenses notanter tantùm VETERES refert, Thummium sc. in Ταπεινωσιγρ. p. 471. & de Majest. p. 243. Continuat. p. 102. L. Osiand. in Append. d. omnipræs. p. 102. & Defens. p. 460. & Nicolai in IV. QQ. p. 196. qui unanimiter docuerunt, solutâ naturali animæ in Christo corporisque unione, ipsâque informatione cessante localem tamen corporis animæque χώρησιν non successisse, sed ubi ubi Λόγος incarnatus, ibi actu personæ divinæ & beneficio unionis personalis tum corpus tum animam in triduo mortis substitisse adeoque animam in corpore quoque mortuo remansisse. Uti anima in Evtycho jam mortuo adhuc fuisse legitur Act. XX. 9. scite etiam ipse Scherzerus: *Mortis forma in animæ dissolutione & discessu à corpore consistit, illud constituens est quasi, hoc consequens*: in Analysi Breviculi. Loc. XXIX. Idem vult & Dannenhauer: *Mortis essentiam consistere in solâ λύσει, sed ejus necessarium consequens esse διάστασιν non nisi divino aliquo miraculo cohibendam.* In Hodos. p. 711. Acutissimè denique Ebelius Philosophus ipse Giessensis respondet: *Consistere mortem non in separatione locali sed informativâ vel in negatione informationis. Unio enim animæ ad corpus, per quam constituitur compositum vivum in esse tali, non consistit in solâ locali præsentiâ E. nec oppositum unionis, quod separatio animæ à corpore, poterit*

 consistere

consistere præcisè in locali absentiâ vel sejunctione locali animæ à corpore. In Part. Spec. Coll. Metaphys. p. 538. b. Spiritum Thummius in Ταπειν. p. 475. non absurdè spiritum intelligit vitalem, absque enim & hoc corpus esse mortuum censetur, Jac. II. 24.

℣. 51.

Et ecce. stupendum post Summi Pontificis mortem prodigium, quod in templo occœcatis apparuit sacerdotibus velum interius quo conspectus arcæ interceptus fuit, Ex. XXVI. 31. scissum est in duas partes, Uti hoc velum operiebat arcam, ita & caro Christi divinitatem, veli itaque scissura erat signum, quod summus Pontifex fuerit per proprium ingressus sanguinem ac carnem Eb. IX. 12. 23. 24. pateatque inde & nobis tum conspectus 2. Cor. III. 18. tum ingressus. Eb. X. 19. 20. 22. Nec Becanus rectè colligit Sanctis veteris Testamenti non patuisse cœlum ante fissuram Veli, non per hanc enim cœlum fuit apertum sed per summi Pontificis mortem antrorsum & retrorsum validam Apoc. XIII. 8. à summo usque ad imum. quo ipso plenaria legis Ceremonialis cultusque levitici abrogatio innuebatur conf. Dan. IX. 27. Eb. IX. 10. & terra præsertim sancta mota est præ ira tanto Judæorum flagitio incensâ conf. Num. XVI. 31. 32. Ps. XVIII. 8. Am VIII. 8. in signum nihilominus salutis, uti enim Legislatore in Sinai audito tremuit terra Ex. IX. 18. Ps. LXVIII. 9. Ita quoque post apparitionem Salvatoris Hag. II. 7. Act. IV. 31. & petræ tacentibus hominibus, Luc. XIX. 40. scissæ sunt induratisque Judæis interminatæ Nah. I. 5. 6. Theodoretus de Jacobo Anachoreta refert conteri ac dissipari jussisse maximum quendam lapidem ad coarguendam iniquam à Judice Persâ prolatam sententiam.

℣. 52.

Et cœlis per Christi mortem reclusis v. 50. unà in terris quoque monumenta ut miracula inter mortuos quoque fierent, Ps. LXXXVIII. 11. 12. aperta sunt in præludium resurrectionis universalis, conf. Ez. XXXVII. 12. & post Christi resurrectionem multa corpora sanctorum In corruptissimo Ecclesiæ statu sibi Deus sanctum tamen servat semen. 1. Reg. XIX. 18. qui dormierant Mors præsertim piorum convenit cum somno in quiete Job VII. 1. 2. Ap. XIV. 13. in cubili, sepulchra quid sunt quam dormitoria? Jes. XXVI. 20. & in fine tandem, mortui enim etiam evigilant. Dan. XII. 2. Joh. V. 28. 29. Surrexerunt ad vitam immortalem. vid. Disp. Kunadi de Sanctis redivivis s. h. l. §. 25.

℣. 53.

℣. 53.

Et egressi è monumentis, probabiliter qui recens mortui atque sepulti unde obviis in urbe adhuc noti forte, Simeon, Hanna, Zacharias, Elisabeth, Johannes B. &c. post resurrectionem ejus αὐτῶ qui est perruptor, Mich. II. 13. primogenitus ex mortuis Col. I. 18. & ἀπαρχὴ resurgentium 1. Cor. XV. 20. 21. 22. 23. sc. solorum piorum, nec impiorum resurrectio illâ ἀπαρχῇ consecratur. Venerunt in civitatem, quædam t. t. sepulchreta fuerunt & extra urbes, sanctam Si denominatio sæpe desumitur non ab eo quod est sed àb eo quod fuit, quid Ecclesiam juvant Romanam meri tituli, quos sibi arrogat ipsa? v. Spanhem Part. III. Dub. Ev. p. 266. 267. & apparuerunt multis uti Christus ipse resuscitatus apparuit non omni populo, sed testibus tantùm præordinatis. Act. X. 40. 41. Quod illa corpora fuêre visa non omnibus sed tantùm multis, exinde multi Theologorum nostrorum colligunt probabiliter, illa jam fuisse gloriosa, spiritualia & per dispensationem tantum mortalium oculis piorum visa. Hanc tamen consequentiam, *A multis ad pios tantùm ac electos;* negat Hackspan tùm ex eo, quòd consequentia illa à nobis damnetur in Reformatis pariter argumentantibus: Christus pro multis satisfeçit, E. non pro omnibus; tum ex eo, quod pii non sunt multi, sed pauci quippe boni, maximè autem ex reliquorum etiam prodigiorum collatione, nec enim eclipsis solis, nec veli scissio nec terræ motus neç cætera mortis Dominicæ Admiranda in gratiam tantùm piorum facta sunt, sed ad terrendos potius ac convincendos etiam impios instituta, cur E. de apparitione resuscitatorum quoque piorum non idem dicas, vix apparet. Part. III. Notar. p. 177.

℣. 54.

Centurio, & inter milites sunt qui convertuntur ad Christum. Matth. VIII. 10. Act. X. 2. 31. præsertim & ille miles, qui XL. martyribus custos fuerat datus visâ in frigidario XXXIX. constantiâ eandem & fidem cepit & coronam. v. Basil. Orat. pec. f. m. 400. & qui cum eo erant, semen enim crucifixus habuit & post fata, Jes. LIII. 10. custodientes eum, quanto magis nos in suâ qnemvis statione vigilare decet Christumque præsertim in corde custodire. Rom. XII. 7. Cant. III. 4. Viso, Christus suos in morte oculos claudens, aliorum oculos aperuit inque mediâ eclipsi illustravit, terræ motu quantis ita motibus saxea quoque corda permoventur ad fi-

 dem

dem. Act. XVI. 26. 29. & ad Deum. Ap. XI. 13. & his quæ fiebant timuerunt valde Christus venit salvatum peccatores, non (imaginariè) justos, Matth. IX. 12. Unde ultimi (Gentiles) evaserunt primi, & primi (judæi) evaserunt ultimi Matth. XX. 16. dicentes tacentibus ludæis loquebantur lapides. Luc. XIX. 40. verè non fictè, ut ludæis visum Joh. XIX. 7. Filius pius non tantùm hominis, quòd innocenter passus est atque mortuus sed & DEI vivi, adeoque non nudus homo pro nobis passus est. erat hic *optimum Epitaphium pietas*, inquit Basilius. conf. Prov. X. 7.

℣. 55.

Erant autem viris in fugam dilapsis ibi mulieres multæ, Virtus divina se in debilibus exerit 2. Cor. XII. 9. à longe Christus enim patiebatur solus Jes. LXIII. 3. 5. Unde crux ejus avertit propinquos quoque Ps. XXXIII. 12. 13. LXXXVIII. 9. 19. quæ secutæ erant eum. Christus non tantum, quando doctrinâ ac miraculis reficit, sequendus est, sed & in cruce quâ tandem obturbat, non deserendus. è Galilæâ haud segnes sed ministrantes de suis facultatibus. Luc. VIII. 2. 3. ei qui quidem non venerat ut ministraretur ipsi sed ut potius deserviret ipse. Matth. XX. 28. Exemplo harum beneficarum mulierum & nostris doctoribus benefaciamus. Gal. VI. 6.

℣. 56.

Inter quas non tantum Mater Domini & Maria Cleophæ uxor erat Joh. XIX. 25. sed & Maria Magdalena à VII. liberata diabolis. Luc. VIII. 2. & Maria Jacobi Minoris & Iose Mater quæ post spectabat ubi poneretur Christus Marc. XV. 47. & Salome mater filiorum Zebedæi, quæ post Sabbathum aromata quoque cum reliquis emit ad condiendum corpus Domini Marc. XVI. 1. Tantâ & fidei & dilectionis constantia nominis quoque gloria redditur æterna. Syr. XLIV. 10.

℣. 57.

Vesperâ autem factâ uti usque ad solis occasum Mose extenderat palmas Ex. XVII. 12. ita h. l. etiam Propheta Magnus in cruce. venit quidam homo dives, Divitiæ pietati adeo non obstant ut potius media subministrent

ministrent ad beneficentiam tum vivis præstandam. Job. XXXI. 16. -- tum mortuis ac sepeliendis. Tob. I. 20. 21. Syr. VII. 36. ab Arimathæa, s. juxta Hieronymum à Ramatha quæ Samuelis quoque Patria 1. Lib. c. I. 1. nomine Joseph Christum recens natum Joseph posuit in præsepio, mortuum in sepulchro itidem aliquis Joseph, ut & Jacobò defuncto justa persolvit quoque Joseph. qui & ipse discipulus erat Jesu metu excommunicationis quidem occultus Joh. IX. 22. XIX. 38. nec tamen in funestum consensit judicium. Luc. XXIII. 51.

℣. 58.

Hic accessit ad Pilatum, cujus ingredi prætorium Pontifices religioni sibi duxerant Joh. XVIII. 28. *Delitescebat quidem olim Joseph*, scribit Theophylactus s. h. l. *nunc verò magnam rem audet, ponens animam suam pro corpore Magistri, tantasque inimicitias Judæorum suscipiens.* & petiit corpus JEsu in quo tota plenitudo Deitatis. Coll. II. 9. Hocque corpore nihil pretiosius petere possumus, & hoc nobis corpus datur in S. Cœnâ. tunc Pilatus, fato indubiè divino adeò propensus Josepho, ut Patiphar Josepho, alteri. Gen. XXXIX. 4. utut judices hujus seculi divitibus plerumque faciliores sint quàm indigis. jussit dari corpus. Optimum donum ipse Christus. Jes. IX. 6.

℣. 59.

Et accepto, Christi corpore loto atque uncto involvit Joseph id in sindone mundâ, Amicienda sunt cadavera præsertim piorum. conf. Joh. XI. 44. XXI. 6. Syr. XXXVIII. 16. longe felicior ille qui corpus Christi recipit pectore mundo.

℣. 60.

Et posuit, Cadavera piorum & honestè & maturè sunt humanda id in monumento localiter, *Nondum autem liquet, localis illius inclusionis sive inexistentiæ tantam vim esse, ut impediat, quo minus* Λόγος, *ubicunque erat, assumtam humanitatem, quacum erat unum* ὑφιστάμενον, *in hypostasi suâ præsentiorem & proximiorem secum & sibi habuerit quacunque creaturâ aliâ.* & paulo post. *Quo tempore corpus Dominicum situm erat in sepulcro, Filius Dei aderat Romæ, aderat Athenis, nec tamen vel Romæ vel Athenis aliquid sibi præsentius habebat quam corpus in personæ*

ſſuæ unitatem aſſumtum; inquit Schröder in Sceptro, p. 704. 705. ſuo in alieno hoſpicio fuit natus, in alieno usque hoſpitatus Matth. VIII. 20. alienâ & navi & aſinâ fuerat vectus. Matth. XXI. 7. Luc. V. 3. ita in alieno quoque ſepulcro recubuit. novo uti conceptus fuerat in utero Virginali, ubi nemo ante jacuit, uti jumento fuit vectus, in quo ante nemo ſedit, Luc. XIX. 30. ita in novo quoque positus fuit ſepulcro, in quo antea nemo jacebat. Luc. XXIII. 53. quod ceciderat in petra, conf. Jeſ. XXII. 16. & advolvit ſaxum magnum ad oſtium monumenti, ne ſanctiſſimum corpus temeraretur conf. Jeſ. XI. 11. Pſ. XXXIV. 21. & abiit tam eleganti humanitatis officio ſtrenuè defunctus. Eſt modus in luctu quoque, Gen. XXIII. 3. II. Sam. XII. 20. Syr. XXXVIII. 18. 24.

℣. 61.

Erant autem ibi, lachrymabundæ ac lugentes Maria Magdalena & altera Mariæ ſc. θεοτόκου ſoror Maria, reliquis ad comparanda aromata in urbem reverſis. Luc. XXIII. 56. ſedentes adverſus ſepulcrum pro more antiquo. Matrona enim Epheſina apud Petronium cœpit funus mariti cuſtodire totisque diebus ac noctibus deflere. Idem & Herodianus. lib. IV. de funeribus Imperatorum teſtatur quod circa tumbas illorum Matronæ *ſederint*, quas virorum aut parentum dignitas honeſtat. Pariter & Tibullus lib. II. Eleg. 7.

Illius ad tumulum fugiam, ſupplexque *ſedebo.*

℣. 62.

Altera autem die quæ eſt poſt puraſceven i. e. die Sabbathi, die Sabbathi factam ægroti ſanationem carpebant, Luc. XIII. 14. eodem autem die rodere mortuum ſibi haud ducebant religioni hypocritæ. Je heiliger die Zeit ie ſchlimmer die Leuth convenerunt Principes Sacerdotum & Phariſæi ad Pilatum Alias quidem

Paſcitur in vivis livor, poſt fata quieſcit, poſt fata tamen Chriſti in ſepulcro quieſcentis Judæi nondum quieſcebant ſed erant maris ad inſtar impetuoſi. Jeſ. LVII. 20. 21. omnes enim paſſionis, mortis & ſepulturæ Dominicæ prædictiones jam impletas cernentes, reſurrectionem Domini æque prædictam timebant.

℣. 63.

Dicentes calumnioſè, illos alias qui mortuos, de quibus nihil niſi benè, tamen mordent, corvis comparat Plutarchus rodentibus cadavera. v. Camer. Centur.

Centur. I. Hor. Subcis. Cap. III. p. 44. Domine Hoc titulo benevolentiam quidem captare voluerunt sed sceptum à ludâ esse ablatum & Messiam venisse unà fatebantur recordati sumus. Mendaces oportuisset esse memores; nam prædictiones resurrectionis tertiâ die futuræ detorserant malitiosè contra templum lapideum ac si hoc velle se destruere Christus tertiaque die resuscitare dixisset Matth. XXVI. 61. XXVII. 40. Nunc propria cædunt vincta, dum illa oracula de resurrectione corporis Dominici interpretantur. quod seductor ille, Longe aliter salutarant vivum: *Magister, scimus, quòd verax es & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo, non enim respicis personam hominum.* Matth. XXII. 16. nunc mortuum vocant *impostorem*, in cujus tamen ore dolus non fuerat inventus. Jes. LIII. 9. quòd is ipsa potius veritas Joh. XIV. 6. ab ethnico magis centurione agnita. Luc. XXIII. 47. Si tanta convitia in Magistrum jactata fuerunt Matth. X. 25. X. 25. ab illis alienos se fore haud sperent discipuli. 2. Cor. VI. 8. dixit, impii & Dei verbum allegare consueverunt adhuc vivus, prædixit vivus & flagellationem, & crucifixionem mortemque ipsam, quibus factis singulis cur non crediderunt? post tres dies nondum exactos sed modo exortos Μετὰ enim sæpe idem est ac *intra*, conf. Gen. XL. 19. collat. 20. Deut. XIV. 28. collat. XXVI. 12. ita Christus quoque circumcisus legitur post octiduum Luc. II. 21. quod tamen ipso die octavo factum juxta sanctionem expressam legis, Lev. XII. 3. Ita & Pontifices intellexerunt verba repetentes ipsius Christi ex Marc. VIII. 31. Si enim putassent eum non nisi *post tres dies* suscitatum iri, non erat quod timerent, ne illo tridui spatio discipuli ejus ipsum surriperent. Nam credere debebant eos non ante diem à Magistro dictam ipsum furaturos. Imò nec solùm tribus illis diebus sed multis quoque post custodiri sepulcrum curassent, jam verò custodiam deposcunt tantum *usque in tertium diem*, v. 64. vid. & Lang. d. Fer. Pass. & Triduo Mort. Christi. p. 60. resurgam ad justitiam. Rom. IV. 25. quæ iniquissimis sacerdotibus non arrisit ut impedire illam omni nisu præoptarint.

℣. 64.

Jube ergo, hoc enim unanime erat petentium votum: *Cùm jacuerit non amplius consurget.* Ps. XLI. 9. unde ipsis nec petrosa sepulcri soliditas satis erat, nec obvoluti saxi quantitas; sed & petebant custodire sepulcrum, sepulcrum nominant solum, nec sepultum ulla detinere custodia valebat usque in diem tertium, quo se resurrecturum sæpius prædixit, nec forte

te veniant discipuli ejus, in his fugitivis adeo nihil fuit animi ut ad hortum appropinquare ne quidem fuerint ausi, sed resurrectionem sepulti annuncianti Angelo ægerrime etiam crediderint, Nec Joseph, qui ipse discipulus, si reliqui sepultum furari corpus cogitassent, tantùm obvolvisset saxum. & furentur eum. Quid quæso lucri discipuli reportassent ex hoc furto, nisi revixisset? & dicant credulæ plebi, prætexebant & Joh. XI. 48. plebem quam tamen circumvenerunt ipsi. Matth. XXVII. 20. adeoque pessimi impostores suo discipulos Christi metiebantur pede. surrexit à mortuis dixisse non suffecisset, nisi Magistrum referre redivivum potuissent & quo fine dicturi fuissent ipsum resurrexisse, si ab illo adeo fuissent deluſi? & erit novissimus error pejor priori, hæc loçutio proverbialis habetur & Matth. XII. 45. II. Pet. II. 20.

℣. 65.

Ait illis Pilatus, Quam facilis Josepho erat, talem se exhibùit & erga Pontifices, homo enim profanus erat cui religio Josephi perinde erat ac Sacerdotum habetis custodiam κυρωδία vox est latina & μετονομικῶς h. l. ipsos notat custodes quæstionarios, uti exponitur c. XXVIII. 4. vid. Fuller lib. IV. Misc. c. 17. p. 528. 529. & Barth. Mayeri Philolog. Sacr. Part. I. p. 254. 255. ite & me porrò facite missum sicut scitis, videtur Pilatus illusisse sacerdotibus, uti militibus Judas Matth. XXVI. 48.

℣. 76.

Illi autem abeuntes frustra munierunt sepulcrum non enim consilium contra Dominum. Prov. XXI. 30. signantes ut Darius Dan. VI. 17. lapidem, ut sive vigilibus sopitis discipuli cadaver sustulissent, sive muneribus corrupti aperuissent milites sepulcrum & tolli defunctum dissimulassent, ex violatione impressi characteris fraus deprehendi posset Præstat verò nostra peccata esse obsignata. Dan. IX. 24. cùm custodibus, quales vel solâ Christi Voce territi conciderunt, Joh. XVIII. 6. quanto minus triumphantem detinere in sepulcro potuerunt? Uti enim Simson philistæis per totam noctem frustra vigilantibus è Gasâ erupit Judic. XVI. 2. 3. ita Christus inter medios quoque hostes dominatus prodiit ex sepulcro. Ps. CX. 2.

FINIS.

I, A

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg